



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque  
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac  
Quatuor Parisiensibus Propositionibvs A Ludovico  
Maimburgo, Alijsque producta sunt, Refutantur**

**Sfondrati, Celestino**

**[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.**

1. Quinque Parisienses propositiones eò pertinere, ut omnes causæ spirituales Parlamento prophanisque Tribunalibus subdantur, idque testimonio Maimburgi palàm fieri, Appellationes ab abusu Concilio ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38277**

## §. II.

## De Appellationibus tanquam ab abusu.

## SUMMARIA.

1. *Quinque Parisienses propositiones eò pertinere, ut omnes cause spirituales Parlamento prophanisque Tribunalibus subdantur, idque testimonio Maimburgi palàm fieri, Appellationes ab abusu Concilio Oecumenico substituentis.*
2. *Appellationes ab abusu recentes esse, & præteritis retrò annis ignotas, idque testimonijs Constantini & Theodorici ostenditur.*
3. *Earum Appellationum injustitia tum ex ipso Appellationis nomine, tum ex gradibus, quibus provec̃ta sunt, probatur.*
4. *Et ex querelis Cleri Gallicanicas Appellationes improbantis.*
5. *Et ex varijs rationibus.*
6. *Respondetur ad Regiorum argumenta.*

## I.

**M**aimburgus finem capituli vigesimi his verbis concludit: (a) *Cùm Romani Pontifices limites à sacris Canonibus præscriptos transgressi suã potestate abuterentur; ad futura Concilia appellari captum est. Id in causa Bonifacij VIII. factum, in omnium Regum coronas dominatum usurpantis. Iterumque ab Universitate Parisiensi, ubi contra Canonum præscripta, & Ecclesiæ Gallicanæ privilegia, Decretis se onerari, alijsque exactionibus sensit. Sed præsertim & frequentius id agitatum in Germania. Verum cum illæ ad futurum Concilium appellationes, aut*

(a) Maimb. Traittè de l'Eglise. ch. 20. fol. 182.

nimis lentum remedium asserrent grassantibus malis, aut Pontificia auctoritati, sententisque eludendis adhiberentur, unius serè sæculi morâ, quæ convocandis Concilijs necessaria est, & idèd à Pio II. Julioque II. hujusmodi provocaciones jure merito damnatae sunt. Aliud remedium in Gallijs successit, Appellationes videlicet tanquam ab abusu, à Summis Pontificibus ad Parlamentum facta, id quippe Majestatem, Justitiamque Regis representat; & ad hunc velut ad Canonum protectorem spectat, providere, ne quid attentetur illis contrarium; imò & Bullas, sententias, legesque Ecclesiasticas ad examen, judiciumque suum revocare, arbitrarique, an aliquid Canonibus, ac Gallicæ libertatibus adversum complectantur. Hactenus Maimburgus, ubi planè faciem nudavit, seque ipsum agnoscendum proposuit, & quò tenderent propositiones Parisienses ostendit, toties & tam quæsitis coloribus pietatem professæ: ut nimirum tota de rebus causisque Ecclesiasticis potestas, ad Reges & Parlamenta, forumque sæculare transferatur: & hanc vocant Gallicanæ Ecclesiæ libertatem, Regi & senatoribus Regijs servire. Errant, inquit, falluntur Pontifices, ergo Concilijs subdantur; sed quia longum est, molestumque Concilia expectare; subdantur Regi & Parliamentis, profanisque tribunalibus; & ne velum desit tam pudendo facinori, abusus Pontificiæ potestatis vocetur, quidquid non placet. Possit error, possit fraus, possit ignorantia in Pontifices cadere; non possit in Regem & Parlamenta: & ea infallibilitas, quæ Pontifici debebatur, Regibus & Parliamentis donetur: isti sedeant, judicentque, Reo interim Pontifice, & ad pedes prophani Tribunalis sententiam præstolante, & hoc ipsum appelletur *libertas Gallicana*. Potestne à Maimburgo dici, imò cogitari aliquid indignius Christianâ pietate? sed rem ipsam aggrediamur.

II. *Primo*. Constat hujusmodi appellationes tanquam ab abusu novas esse recentisque, & ultimis sæculis natas, quando videlicet & disciplinæ Ecclesiasticæ fastidium, & libido opinandi nova, gliscensque adulatio, ac etiam aliquorum Pontificum prædura imperia medicinas quærere coegerunt morbis peiores. Feuretus putat anno 1404 primùm emeruisse. Auctor (a) liberratum Ecclesiæ Gallicanæ ad Annum 1489. refert. Acta Cleri Gallicani non

I 2

ante

(a) Carolus Feuretus l. i. c. 2. Auctor libert. Gallic. Tom. I. pag. 96. Acta Cleri Gallic. Tom. I. Tit. 2. c. 19. Stephan. Pasquier. l. 3. c. 38. V. Tract. de libert. Eccles. Gallic. lib. 12.